

Disjecta infesto tabuit Oceano !

80

Quae tibi sunt veterum renovata exempla malorum

Nuper, ubi in Syrtes (proh dolor !) egit Hylam

Ventorum immanem convolvens turbo procellam ;

Immeritumque hausit naufraga vis juvenem ,

Ah ! tunc prima novae expertum vix oscula nuptæ : 85

Prae nimia erepti quae pietate viri

Saepe ad desertum respectans moesta cubile,

Et saepe ad natū pignora parva sui

Integrat in noctem miseras, luceatque querelas,

Dum moestas fratri dat sotor inferias.

90

Sed mihi nulla aequa formosis terra puellis

Ridet, ut ista suis Insula virginibus .

Quamquam o Elaphites, pulcherrima turba, puellæ,

Vestrás hinc laudes ducere Apollo vetat :

Haud ego vos igitur celebrem, quod lactea vestro

95

Ore nitent puris lilia mixta rosis ;

Sed quod florentis præstantia munera formæ

Gratior in pulcris aurea corporibus

Exornat virtus, intactosque afflat honores

Moribus ingenuis candida simplicitas .

100

His super illecebras culti sermonis utrasque,

Et belle urbanos posse movere sales

Adjice, et illaesi nomen, famamque pudoris ,

Et pura ornata religione animas .

Verior hinc vestrae præconia laudis Apollo,

105

Non a vulgatis inchoat auspiciis,

Vosque bono ingenti laetas jubet esse, puellæ,

Quantum nullà alio est gens alia in populo .